

profani in Ecclesiis perfici non possunt, neque ab ipsis clericis *c. 12. h. t.* Nam ut notat Glossa in idem caput *v. monstra*, non prohibentur fieri in Ecclesia ludi honesti simul et pii, idest piæ repræsentationes, quæ inserviant ad recolenda divina mysteria, et ad excitandam devotionem. Præ oculis autem maxime habenda est dignitas et sanctitas loci. Quare abstinendum est ab iis omnibus, quæ reverentiam loco sacro debitam lædere, et aliqualem etiam profanationem sapere possent. Insuper prohibentur clerici alibi etiam exercere artem jocularum et histrionum seu mimorum *cap. 15. h. t.* Quam artem si per annum exerceverint, ipso jure privantur omni privilegio clericali; si autem breviori tempore et tertio moniti non respiciant, eadem pœna mulctantur; *cap. un. h. t. in 6º.* Immo clericis interdicitur etiam interesse spectaculis publicis et pompis *can. His igitur Dist. 23.* Glossa vero in hunc canonem explicat, quænam spectacula interdicanter clericis, scilicet spectacula obscœna et turpia, in quibus depravationis periculum adesse potest. Tandem in *clem. 1. h. t.* clericis prohibetur personale exercitium officiorum, quæ vilia et indecora reputantur in societate ex. gr. officium tabernariorum etc.

## TITULUS II.

## De cohabitatione Clericorum et Mulierum.

1. Consortia mulierum vitam clericorum suspicionis macula suffundere possunt; hinc præsens titulus primo subnectitur, in quo de honestate vitæ clericorum actum est. Cum ex dictis in 1º. titulo Clerici non solum incontinentiæ labem, sed etiam ipsam speciem et suspicionem hujus vitii a se remove, et caute vivere debeant; hinc ceu principium generale, quod tituli præsentis tractatum regit, sequens regula statuenda est. Clerici ex lege canonica cohabitare, et conversationem habitualement cum feminis quibuscumque de continentia suspectis habere nequeunt. Clare hujusmodi principium traditur initio *c. 1. h. t.*, quod desumptum est ex *can. 3º. Conc. Nannetensis*, non vero ex Concilio Moguntino, prout inscribitur in Decretalibus, et ita se habet. — *'Inhibendum est, ut nullus Sacerdos feminas, de quibus suspicio potest esse, retineat.'*

2. Hinc ex *cap. 9. h. t.* prohibitum non est clericis cohabitare cum feminis, in quibus *naturale fœdus nihil permittit sævi cri-*

*minis suspicari, idest matre, sorore, amita etc.* Consonat dispositio Concilii Nicæni relata a Gratiano in *can. 16. Dist. 32.* Fœminis vinculo sanguinis conjunctis addunt Doctores etiam affines, nec non extraneas maturæ ætatis et bonæ famæ. Et merito. Nam citatus canon nicænus præter matrem, sororem et amitam nominat etiam eas idoneas personas, quæ fugiant suspensiones, cum quibus sinit clericos habitare. Ad evitandam vero suspensionem cum extraneis auctores tradunt mulierem saltem 40 annorum ætate esse debere, et probatæ vitæ. Quare ut determinentur mulieres cum quibus clerici cohabitare possint, respiciendum est ad vinculum sanguinis, vel affinitatis, et ad ætatem cum bonis moribus conjunctam.

3. At *capiti 9. h. t.* obstat dispositio secundæ partis *cap. 1. h. t.* in qua interdicitur clericis cohabitatio cum omnibus fœminis etiam sanguinis vinculo conjunctis, ex. gr. matre etc. . . . En verba: *'Sed neque illas (fœminas) quas canones concedunt, matrem, amitam et sororem; quia instigante diabolo et in illis scelus perpetratum reperitur, vel etiam cum pedissequis earum.'* — Porro hæc dispositio *cap. 1.* cum recenseatur inter leges ecclesiasticas, dici illico nequit cum aliquibus eam fuisse per dispositionem *capiti 9.* abrogatam. (Canon nannetensis est referendum saltem ad annum 690, decretalis vero in *cap. 9.* relata, auctorem habet Innoc. III.; ideoque non est sæculo XII. antiquior.) Potius vero dicendum est cum *Bened. XIV. De Syn. L. XI. c. IV. n. 7., cap. 1. h. t.* non referre regulam generalem, sed potius exceptionem *cap. 9.,* atque ita componendum esse utrumque caput, ut nempe cum Innocentio III. in *c. 9.* generatim permittatur clericis cohabitatio cum mulieribus naturali fœdere conjunctis; quia ex regula generali juxta longam et probatam experientiam suspicio criminis cum istis fœminis non verificatur; et excipiatur cum concilio Nannetensi in *c. 1.* casus in quo etiam hujusmodi fœminæ aut earum pedissequæ afferant ex pravis moribus rationalem suspensionem criminis incontinentiæ. Et revera quamquam *cap. 1.* videatur exhibere regulam generalem, tamen si rite consideretur, refert indolem exceptionis. Nam fundamentum prohibitionis collocant Patres in suspicione criminis, adeo ut prohibeant in primis verbis *capiti non* quamcumque cohabitationem, et qualecumque consortium clericorum cum mulieribus, sed solummodo inhi-beant consortium cum mulieribus de quibus suspicio esse potest. Quod si objiciatur, Patres nannetenses deinde absolutis verbis proscriptis consortium clericorum etiam

cum matre, amita etc., responderi potest duplici modo: 1<sup>o</sup>. scilicet hæc verba absolute accipienda esse cohærenter ad priora verba, idest: cum *suspicio esse possit* ex pravis moribus matris, sororis et amitæ clerici. — Vel dicendum est 2<sup>o</sup>. Concilium edidisse dispositionem generalem pro sua Provincia. At non inde sequitur idem caput prout relatum est in corpore juris, vim habere regulæ generalis contrariæ capiti 9. Et sane Patres Concilii nannetensis fatentur, canones permittere clericis cohabitationem cum matre, sorore et amita. Jamvero quomodo potuissent Patres illi prohibere clericis id quod canones permittunt, nisi ob specialem rationem loci quia nempe scandalum ex hac cohabitatione in illa Provincia ortum fuerat. Quare canon peculiaris pro eadem Provincia confici potuit, eo quod, uti Patres Concilii innuunt, *instigante diabolo et in illis* (fœminis matre, sorore etc.) *scelus perpetratum est*. Videlicet hæc admodum rigida dispositio, prohibens clericis cohabitationem etiam cum mulieribus consanguineis, lata fuit eo quia ob mores depravatos loci, ab experientia cognitum fuit, ibi suspectam fore cohabitationem hujusmodi. Verum dispositio quæ statuta est ob peculiarem loci nequitiam non induit naturam regulæ generalis pro universa Ecclesia; sed poterit applicari aliis etiam in locis, quando eadem ratio verificetur. Gregorius IX. vero referens canonem nannetensem inter leges Ecclesiæ universalis, illum consideravit et excepit in propria sua indole et extensione, id est prout fuerat editus ob peculiare circumstantias loci et temporis; id est in indole et extensione particularis dispositionis quæ ab iisdem circumstantiis penderet. Hinc eidem canoni alium opposuit, in quo ceu regula generalis traditur, posse clericum cum fœminis vinculo sanguinis conjunctis cohabitare. Igitur canon Nannetensis Concilii, quando in corpus juris relatus est, retinuit indolem regulæ peculiaris, ita ut applicari debeat, quando locum habeat ratio suspicionis, ob quam pro Provincia Nannetensi editus fuit; ac proinde haberi debet ceu exceptio regulæ generalis propositæ in c. 9. h. t. qua permittitur clericis cohabitatio cum mulieribus naturali fœdere conjunctis. Quare concludendum est: 'Non est in genere vetita clericis cohabitatio cum mulieribus vinculo sanguinis vel affinitatis conjunctis, aut cum fœminis maturæ ætatis et bonæ vitæ. Quod si vero ob malos earundem fœminarum mores, suspicio criminis etiam cum istis mulieribus exurgat, prohibita est cum iisdem clerico cohabitatio.

### De pœnis contra clericos concubenarios.

4. Clericus si contra legem canonicam cum mulieribus vivat, concubinarius dicitur, et peculiaribus subjicitur pœnis. Cum de hisce pœnis loqui debeamus, determinandum est quid veniat nomine concubinatus. Obiter animadvertimus, in veteribus canonibus aliquando appellatam fuisse concubinam uxorem legitimam, sed minus solemniter ductam in matrimonio. Ita *can. 4. Is qui Dist. 34. ex Conc. Toletano I. et can. 5. Christiano eadem Dist.* Concubinatus stricto sensu sumptus nihil aliud est nisi consortium hominis cum muliere, quam loco uxoris detineat.

5. Quoad clericos autem, et ad pœnas iisdem applicandas, concubinatus latiori significatione sumitur. Determinandum ergo est quando clericus dici possit reus criminis concubinatus. Crimen concubinatus importat vitium; hinc clericus qui semel aut iterum carnale commercium habeat cum muliere, non dicitur concubinarius. Requiritur igitur prava consuetudo ad turpe hoc crimen constituendum. Indifferens vero est utrum cum una vel cum pluribus mulieribus prava consuetudo habeatur, et an mulier suspecta domi vel alibi detineatur. Clericus ergo concubinarius in sensu Tridentini *in cap. 14. sess. 25. De Refor.* quoad effectum pœnarum, ille est, qui detineat mulierem, vel mulieres suspectas, sive domi, sive extra domum, idest habitualiter eas frequentet. Consonat huic notioni traditæ a Tridentino Concilio *cap. 2. h. t.*

6. Hisce explicatis, deveniamus ad pœnas in specie designandas, quæ a jure nostro clericis concubinariis infliguntur. Omittimus sanctionem veterum canonum, quæ præsertim contra clericos in majoribus ordinibus constitutos, videtur fuisse depositio perpetua, seu dejectio a clero. Ita Gregorius Magnus in epistola 26 ad Januarium Episcopum Calaritanum lib. 3. epistolarum. Nicolaus I. in decreto tit. *De Presbyteris et can. 2. Decernimus Dist. 28.* — Si Decretales Gregorii IX. inspiciamus, habemus *capp. 2., 3., 4., 5. et 6. h. t.* quæ Alexandro III. inscribuntur, in quibus hæc dispositio juris statuitur, ut nempe salutari admonitione Episcopus studeat ad bonam frugem clericum concubinarium revocare, respiscere vero nolentem suspendat ab ecclesiasticis beneficiis usque ad congruam satisfactionem *c. 4. h. t.*; si autem clericus adhuc in crimine persistat, post trinam admonitionem, possit Episcopus beneficiis eum spoliare; ac tandem crescente adhuc contumacia, ab ipsa

fidelium communione arcere possit donec corrigatur. Animadvertendum insuper est, jure Decretalium Sacerdotem notorie concubinarium vitandum fuisse in missæ celebratione *cap. 7. et 10. h. t.* — Quæ pœna etiam indicta fuerat contra clericos concubenarios a Nicolao II. in Synodo Romana cujus dispositio relata est a Gratiano *in can. 5. Dist. 33.*

7. Verum hæc dispositio antiqui juris correctæ est a Martino V. in *Extrav. Ad evitanda*, in qua inter personas a fidelibus vitandas Sacerdos notorie concubinarium in missæ celebratione non recensetur.

8. Hæc jure canonum antiquorum et Decretalium Gregorii IX.; nunc exponenda est disciplina juxta legem Trid. Concilii. Huc referenda sunt *cap. 14. sess. 25. De Ref.* et *cap. 6. sess. 21. De Ref.* — Ut autem rei claritati consulatur, quatuor casus distinguendi sunt. Casus primus est de clericis beneficium aut pensionem possidentibus. In *c. 14. sess. 25.* Concilium præprimis renovat pœnas veterum canonum contra concubinatum clericorum, deinde sermonem instituens de clericis beneficium aut pensionem possidentibus, statuit, clericum concubinarium monendum esse. Hæc porro admonitio debet esse specialis seu personalis, nec sufficit generalis, vel per edictum; quemadmodum ex resolutionibus S. Congregationis Concilii probat Nicolaus Garcias *De Benef. part. XI. c. 10. n. 186.* Quod si post hanc admonitionem clericus sese non abstinuerit a consortio cum suspecta muliere, statuit S. Synodus, eum ipso facto privari tertia parte fructuum, obventionum et proventuum beneficiorum suorum quorumcumque et pensionum; et hanc tertiam partem fructuum etc. . . . applicandam esse fabricæ Ecclesiæ, vel aliis piis locis arbitrio Episcopi. Deinde iterum clericus eodem modo admonendus est, et si nec post secundam admonitionem pravam deserat consuetudinem cum eadem fœmina, vel cum alia, privatur ipso facto omnibus fructibus, proventibus et pensionibus, locis piis ut supra applicandis, et insuper ab administratione ipsorum beneficiorum suspendendus est quoadusque ordinarius etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur. Suspendio autem hæc non latæ sententiæ est, sed ferendæ. Tridentinum enim utitur verbo *suspendantur*. Si vero nec ita suspensus clericus hujusmodi mulierem vel mulieres suspectas e domo expellat, aut cum ipsis conversetur, a beneficio, et officio et pensionibus quibuscumque ecclesiasticis in perpetuum privatur, et inhabilis redditur ad quod-

cumque beneficium, honorem, et officium ecclesiasticum, donec manifeste mutatis in melius moribus et vita dispensationem hac in re a propriis Superioribus obtinuerit. Perseverante vero adhuc contumacia, contra clericum hujusmodi proceditur eodem modo quo proceditur contra clericos non habentes beneficium, de quibus infra. Quod si clericus dimiserit turpe consortium cum muliere suspecta, et ad illud misere redierit, sive cum eadem, sive cum aliis, statuit Concilium, clericum hujusmodi præter prædictas pœnas, etiam excommunicationis gladio plectendum esse.

9. Cognitio autem et decisio quæstionum in materia concubinatus clericorum ad Episcopum reservatur, qui procedere potest absque strepitu ut figura judicii, sed veritate facti solummodo inspecta; et pœna quæ ab Episcopo infligatur, non potest in executione ab ulla exceptione vel appellatione suspendi aut retardari. Ita Tridentinum in *cit. c. 14. sess. 25. De Ref.*

10. Qua in re animadvertimus supra expositam pœnam privationis fructuum, quæ *ipso facto* imponitur, non obligare in conscientia clericum concubinarium, nisi post sententiam declaratoriam Judicis. Omnibus enim pœnis, quæ externam executionem requirunt, subjici non tenetur reus in conscientia ante declarationem Judicis, nisi a lege aliter caveatur, arg. *c. 19. De Hæret. in 6.º*. — Conf. P. Thesaurus *De pœnis cap. 4. v. Concubinatus*. — Hæc de clericis beneficium aut pensionem possidentibus.

11. *Casus secundus*. Quoad clericos beneficium aut pensionem non habentes statuit Concilium in eod. *cap. 14. sess. 25. De Refor.* eos puniendos esse ab Episcopo juxta delicti qualitatem et perseverantiam contumaciæ. Pœnæ autem sunt reclusio in carceribus, suspensio ab ordine, inhabilitas ad beneficia obtinenda, aliæque pœnæ juxta sacros canones.

12. *Casus tertius*. In eodem *cap. 14. Conc. Tridentinum* statuit, Episcopum concubinarium, quod absit, post monitionem factam a Conc. Provinciali, nisi abstineat a prava consuetudine, ipso facto suspensum esse, et perseverante contumacia, rem esse deferendam ad Rom. Pontificem.

13. *Casus quartus*. Tandem Concilium Tridentinum in *c. 6. sess. 2. De Refor.* contra Parochos turpiter et scandalose viventes statuit, eos monendos esse, deinde si perseverent in contumacia, coercendos esse et castigandos ab Episcopo, quod si incorrigibiles

perseverent in nequitia, eos privari posse beneficio ab Episcopo, juxta canonica instituta, quavis exceptione et appellatione remota.

14. Quæri tandem potest utrum contra omnes clericos concubinos, et quomodo procedi possit.

Profecto si concubinatus clerici sit prorsus occultus, puniri nequit canonica sanctione, sed divino judicio plectendus relinquitur *can. XI. Erubescant. Dist. 32.* — Si concubinatus sit notorius, scilicet vel per confessionem factam in jure, vel per evidentiam facti, quæ nulla tergiversatione celari possit, *c. ult. h. t.*, tunc etiam sine accusatione contra clericum reum procedi potest. Verum debet servari forma procedendi præscripta a Conc. Trid., ita ut si quoad clericos beneficium possidentes privatio illico decernatur, sprete tridentina forma, seu ordine, privatio hæc habeatur ceu spoliū judiciale, sitque nullius valoris, et concedatur clerico restitutio in integrum contra sententiam.

15. Tandem si concubinatus clerici sit quasi occultus, id est si tantum gravis suspicio de clerici concubinato enascatur, et in populo scandalum oriatur, hoc in casu clerico neganti crimen inspecto jure Decretalium intimanda esset purgatio canonica; quam purgationem nisi præstare velit, vel in ea defecerit, tunc uti convictus puniri posset. Scilicet posset contra ipsum procedi tamquam in clericum concubinarium convictum, *c. 8. h. t. et cap. 10. De purgatione canonica.* Hodie vero juxta regulam tridentinam clericus graviter suspectus de concubinato monendus est, ut mulierem suspectam a se removeat; quod nisi monitioni paruerit, præsumptio criminis exurgit contra eum, et proinde pœnis a Tridentino statutis subjici poterit.

Tandem animadvertimus, circa modum procedendi contra clericum concubinarium præ oculis haberi posse regulas practicas statutas in Instructione S. Congregationis Episcoporum et Regularium a Summo Pontifice Leone XIII. approbata die 11. Junii 1880, quam in appendice libri II. exhibuimus.

### TITULUS III.

#### De Clericis conjugatis.

1. Non omnis cohabitatio cum mulieribus est clericis interdicta; datur enim honesta cohabitatio per legitimum matrimonium.

De hac honesta cohabitatione agit titulus noster. Quæritur 1º. an Clerici possint matrimonium contrahere.

Distinguendum est inter clericos in minoribus, et clericos in majoribus ordinibus constitutos.

Clerici minores non solum valide, sed etiam licite contrahunt matrimonium; nam eorum mancipatio statui ecclesiastico et cultui divino non est absoluta, sed conditionalis. Scilicet clerici minores considerantur potius in via ad majores ordines, quos cum susceperint, in vera, completa et perpetua statione ecclesiasticæ militiæ collocantur. Positio ergo minorum ordinum relate ad statum ecclesiasticum, cum includat conditionem, *dummodo clericus velit in sancto proposito perseverare statum ecclesiasticum definitive amplectendi*, non reddit clericum ipsum inhabilem aut quoquomodo impeditum ad matrimonium contrahendum.

2. Matrimonium vero a clericis minoribus contractum, quantum in se est, collocat eosdem in conditione aliena ab ecclesiastica. Primo autem loco consideremus matrimonium clericorum in relatione ad beneficia quæ possident. Ex lege canonica clericus minor matrimonium contrahens, ante etiam ipsam consummationem privatur beneficiis, quæ possidet. Diximus *ante consummationem*, nam ob matrimonium impliciter ratum clericus beneficio suo privatur *capp. 1., 3. et 5. h. t.*

3. Specialem expositionem promeretur caput tertium, cujus species est: Quidam clerici minores diœcesis Verulanæ beneficium ecclesiasticum assecuti, aliquid de suis patrimonialibus bonis in Ecclesiam proprii beneficii contulerant. Cum deinde matrimonium contraxissent, quæsitum est ab Alexandro III. quid sentiendum esset de beneficio, et de bonis collatis Ecclesiæ. Pontifex respondit, beneficio privandos esse clericos hujusmodi, sed collata bona eisdem esse restituenda. Hæc vero secunda dispositio, quæ in summa capitis dicitur valde notabilis et allegabilis, procedit ex eo quod bonorum suorum donatio facta a clerico Ecclesiæ propriæ, vel a monacho monasterio, præsumitur conditionata, id est præsumitur eidem donationi implicite inesse conditio, ut duret, donec perduret commoratio donantis in Ecclesia vel monasterio. Nemo enim clericus vel monachus factus præsumitur velle se absolute bonis suis exspoliare adeo, ut ad statum laicalem reversus mediis sustentationis destitui patiatur. Hinc hæc donatio consideratur et acci-